



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Sanctorvm Qvinqvaginta Ivris-Peritorvm Elogia**

**Roberti, Johannes**

**Leodii, 1632**

S. Svlpitivs Severvs, Episcopvs, Gallvs.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45032**

S. S V L P I T I V S S E V E -  
R V S , E P I S C O P V S ,  
G A L L V S .

A S S E R T I O I V R I S P E R .

S. Paulinus Episc. Nolan. Epist.  
I. ad Seuerum.

*Tu — in ipso mundi theatro, id est, FORI  
celebritate DIVERSANS, & facundi  
nominis PALMAM tenens.*

**T**Am suavis ista allocutio, etsi man-  
ca, & truncata, inuitat, vt plura ex  
eodem Paulino ad nostrum Sulpitium  
Seuerum audiamus: maximè cùm nec à  
nobis, nec aliunde meliora, imo nec pa-  
ria, afferre possimus. Ergo idem, eâdem  
primâ Epistola, sic:

*Tu, Frater dilectissime, ad Dominum, mi-  
raculo maiore conuersus es: (secum illum  
comparat) quia ætate florentior, laudibus  
abundantior, oneribus patrimonij grauior,  
substantiâ facultatum non egentior, & in  
ipso adhuc Mundi Theatro; id est FORI ce-  
lebritate diuersans, & facundi nominis pal-  
mam*



*mamtenens, repentino impetu discussisti peccati iugum, & letalia carnis & sanguinis vincula rupisti.*

*Neque te diuitia de matrimonio Familia Consularis adgesta: neque post coniugium peccandi licentia, & celebsiuuenta, ab angusto salutis introitu, & arduo itinere virtutis, in mollem illam, & spatiosam multorum viam reuocare potuerunt. — Tu ergo verus factor Legis, & Euangelij non surdus auditor: qui corpus, & Mundum configens cruci, delicias iuuentutis, & vitæ presentis mala gaudia, pro venenis, & luctibus atersatus es, respuens patrimoniorum onera, ceu stercoreum. Idem Paulinus ad eundem, Epist. 3.*

*Lingua tua verba DEI rorat: & cor tuum fertile à DEO semen exceptum, spiritali fruge multiplicat; vt de fructibus tuis impleat manum suam messor, & sinum suum, qui manipulos colligit: hoc est, ipse DEVS, qui verbi in nobis sui & seminator, & messor est. Item Epist. 5.*

*Te, victâ lege membrorum, & exteriori corrupto, puram conspersionem parare, & sine fermento azymorum Christo confici, eloquia tua,*

*tua,*



tua, tam facunda, quam casta testantur. Neque enim tibi donatum fuisset enarrare Martinum, nisi dignum os tuum, sacris laudibus, mundo corde fecisses. Benedictus igitur tu homo, Domino, qui tanti Sacerdotis, & manifestissimi Confessoris historiam, tam digno sermone, quam iusto affectu percensuisti. Denique ex Epistolâ 14. hoc etiam fragmentum lege:

Ineffabile mihi est, quantâ me voluptate perfuderint (de ijs loquitur, qui à Seuero ad se venerant) cùm referrent & actus, & sermones tuos, & perfectum cor tuum charitatis diuinae scientiâ: quâ humilis, & excelsus; pauper, & diues; seruus, & liber; famulus, conseruus; fratribus seruus; pauperibus diues in visceribus misericordiæ; diuitibus pauper in spiritu mansuetudinis; humilis virtute pietatis; arduus sublimitate virtutis: & seruus DEO, liber Mammonæ: totum in te spirare Martinum, florere Clarum, maturari Euangelium predicabant. Impinguarunt omnino oleo letitiæ caput nostrum.

Regrediamur ad Epistolam quintam, cuius hæc Sancti de Sancto verba, hoc nobis elogium claudant:



*Verba tua vellera sunt, & Dominum  
IESVM gratissimo tegmine cooperiunt, cuius  
suppeltili pulchrâ ambiunt, & ingenij tui  
floribus comunt. Vestiet ille te vicissim Agnus  
de suo vellere, in retributionis die, mortale  
tuum de suâ immortalitate superinduens.  
Tu tantum nostri memento, & nos respice,  
non retro spectans, sed amici memor.*

Floruit cum Paulino, Anno Christi 400.

S. APER

